

**Dissertatio inauguralis medica, de therapia passionis hypochondriacae ... /
submittit Georgius Clacius.**

Contributors

Clacius, Georgius.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, [1713]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dr4za5y8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA;
DE

THERAPIA PAS- SIONIS HYPO- CHONDRIACÆ,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM NATU-

RALIUM PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA LON-

GE DIGNISSIMO, DECANO h. t. SPECTATISSIMO,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO

omni Observantia atque Honoris cultu atatem prosequendo,

PRO GRADU DOCTORALI,

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis

More Majorum solenni obtinendo,

Add. Jun. MDCCXIII, horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum Examini submittit

GEORGIUS CLACIUS,

HANNOVERANUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSECTATIO IN ANATOMIA MEDICA

THEATRA ANATOMICA

STOMACHUS

CHONDRIACUS

ANATOMIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

JOHANNES DE ANCIENNE

DR. FRIDERICUS WILHELMUS

PRINCIPALIS ANATOMIAE

DEUTERUS REGIONIS

GRATIA ANATOMIAE

PRINCIPALIS

DR. GEORGIO ERNESTO STAHL

CONJUNCTI ANATOMIAE

RATIONABILIS ANATOMIAE

PRO GRADU DOCTORALIS

SUMMA ANATOMIAE

ANATOMIAE

ANATOMIAE

ANATOMIAE

ANATOMIAE

GEORGII CLAVII

HANNOVERANUS

HALLA MEGESTRICA

Typo CHRISTIANI NEUBERGERI, Halla Typogr.



PRÆLOQUIUM.



Uamquam communis ille artis medicæ scopus existat, ut non tam curiosa, jucunda, splendida, & speciosa tractet, sed vitæ & sanitati humanæ, partim consiliis, partim auxiliis salutaribus, prospiciat, eademque justo ordine, conveniente nexu, & rationabili me-

thodo commendet atque offerat; tamen deploranda merito est illa vulgaris cespitatio, quod hic tam dignus & fonticus scopus, per tot præcoces interspersas opiniones & persuasiones humanas, multis modis defleat, eoque ipso salutarem usum, ex arte hac expectandum, prætergrediatur atque perdat. Loquimur vero de illis liberalibus atque fugitivis opinionibus quæ hodiernum plus valent, quam rationes; imprimis in rebus scientificis, & quarum tractatio circa tam nobile objectum & subjectum versatur: Quin nimis plebeja nobis videtur, illa in re Medica implicite occurrens deductio, qua, de rebus, quæ sunt facti, bona opinio fo-

A 2

vetur,

vetur, & ut Germani eloquuntur, eine gute Meinung von einer Sache haben: nisi illud ludibrium merito etiam medicam artem premat, quod pro arte σοφισμῶν reputetur. Imò, quamvis quidem ratum sit *Ciceronis* effatum *quod opinionum commenta deleat dies, Naturæ judicia verò confirmet*; attamen vix affirmare veremur, quod sub confusa horum Naturæ judiciorum tractatione, mirificè adhuc opinionum commenta inclarescant. Inde contingit, ut hodiernum *Hippocrates* ultro ex Prisca Medicina, dubios & malos Medicos invehat, eosdemque malis gubernatoribus comparet, qui in re levi haud delinquentes, in magis fonticis verò & notatu dignioribus ubique hæsitant. Unde enim aliter derivari possent, hi maximi hiatus; nisi ex illis prodigis speculationibus, quæ ex Physica scientia, in Medicam Theoriam irreperunt: quam verò in Medicina umbratilem & pictoriam esse, jam olim, & verè & accuratè, asseruit *Hippocrates*. Prostituit verò huc usque artem nostram Medicam, hæc libido speculandi & opinandi; unde præter necessitatem, tot novitates, tot novi morbi, tot, & tam diffusæ, morborum causæ, excogitatæ & suppositæ, simplices verò affectus, sub confusis aliis schematibus, expositi & tractati, complicati vicissim, è disitis, & universalioribus, causis explicati, & eo ipso perversi, fuerunt. Tanto magis verò hæc saluberrima ars Medica, claudicare cœpit, quam primum tot stimuli, ficti & picti, tot acumina excogitata, tot acrimoniæ suppositæ, & tam frequens abstractio imposita. Premit inter alia hæc confusio Affectum in Medicina notatu maximè dignum, quem *Hypochondriacam Passionem* appellare solent; cujus Theoretica æquè, ac Practica Tractatio, per

per tot animos distracta est, ut certè selectus & carus & difficilis sit, quænam harum tractationum, assumenda, continuanda, & applicanda veniat. Sumsimus nobis itaque adspirante divina clementia, eo anniti, ut qua fieri poterit brevitate, hos scopulos evitare, & ex fundamentis, tam rationis sanæ, quam securæ experientiæ, commonstrare queamus, THERAPIAM cumprimis hujus PASSIONIS HYPOCHONDRIACÆ. Hoc vero specimen, ut ad vota succedat, exeatque, est, quod à DEO T. O. M. devotissimo animo precamur.

§. I.

QUamvis hic affectus, cujus Therapevticam explanationem pro Themate Inaugurali selegimus, nimium quantum cognitus esse videatur, imo tot vicibus expositus sit; tamen, cum passim adhuc desideria quædam in modo *connectendi & applicandi* talia, quæ in illo negotio & *utilia & necessaria* sunt, suppetant: propterea non alienum fuerit, ad Senecæ effatum, quod *nihil nimis dicatur, quod nunquam satis discatur*, si in illis postulatis enodandis vires meas exerceam. Haud vero consultum erit, diutius recensendæ *Historiæ* hujus affectus, aut latiùs explicandæ *Ætiologiæ*, immorari; quæ affatim à variis Celeberrimis Viris commendata fuere; illud vero è re nostræ erit, ut ad ductum veræ *Historiæ* hujus passionis, breviter fundamenta *Pathologiæ*, & quidem *pragmaticæ*, recenseamus: *Therapiam* hisce fundamentis superstructam explicemus, *nexum* utriusque commonstremus, & quid tam *privativè*, quam *positivè* in hoc ita dicto Malo, committendum sit, indicemus.

§. II.

Ut vero meliorem ordinem servemus, in limine statim

tim significanda erit *vera & formalis* hujus affectus *indoles* atque conditio. Propterea hæc vulgò dicta *Passio Hypochondriaca*, est *concurfus commotionum & contentionum spasticarum per tensorias, oppletorias, pressorias, restagnatorias, distensorias*, angentes molestias, circa *Venæ Portæ*. *Systēma*, & huic annexa *viscera*, *sævientium*, & perceptibilium: ad *promotionem spissioris, & emotionem abundantioris sanguinis*, collineantium. In qua syndrome vero, tam *positivæ actiones*, nimirum *spasticæ tractiones, congestiones, adpressiones retro pressiones & impressiones*, quam *passiones, oppletoriæ, distensoriæ, inflatoriæ, restagnatoriæ, gravativæ*, aliæque, communiter obtingere solent.

§. III.

Quo sensu etiam hoc loco, & quidem in frontispicio hunc affectum *passionem* appellare placuit. Haud verò in universalitatem quandam consentiens, quasi *singula* merè *passive* contingant; cum contrà, non modo *sensualis* perceptio, sed & *rationalis connexio* horum phœnomenorum, quæ in hoc affectu occurrunt, *activum* hunc concursum obsignet: in quibus appellandi modis verò, nos minime difficiles fore promittimus. Illud vero indicasse & præmonuisse suffecerit, quod confusa illa hujus affectus æstimatio & dijudicatio, quasi *absoluta passio, offensio*, & propterea *simpliciter morbida & noxia* dispositio, & potestas, in illo occurrat, efficaci *Therapiæ* maximopere contrarietur. Cum difficile æquè non sit, secundum hanc Theoriam, suppositas illas, imò effectas, *passiones*, coërcere & reprimere; præprimis per famosa *adstringentia & narcotica*: quorum effectus sinister vero abundè comprobatur, quam sinistrè, singulæ in hoc affectu obviæ circumstantiæ, pro nude *passivis* effectibus, agnoscantur.

§. IV.

Unde quidem primus ex aliis *Willisus*, neque aliter *Highmorus*, rectè judicarunt, quod *Hypochondriacum* sche-

ma, plurimum *spasms* absolvatur; è quibus postea *passiones*, seu recen sitæ molestæ sensationes, propullulant. *Spasmos* vero illos nude *passivos* fingere, & male connectentibus, & sonantibus illis *irritationibus* & *vellicationibus*, *salinis*, aut *obstructionibus* minorum vasorum, adscribere velle, æque esset ac contrà sensus disputare. Quippe quibus placitis varia, tam è genuina *historia*, quam simplici *ratione*, petita, aperte repugnant; ut proinde *formalis* illius affectus explicatio, è longe alio, quam *passionum*, titulo & capite, peti debeat.

§. V.

Et quemadmodum inter Veteres Medicos, hujus *Passionis* ita dictæ, vel notatio vel mentio peculiaris, non occurrit; ut propterea non improbabiler argui posset, quod neque in *prisca Medicina*, affectus ille ita innotuerit, uti paulo propiori ævo inclaruit; dum primus fortè *Sennertus*, (& qui ipsa ejus dicta repetebant,) & postea etiam *Conringius*, illius, tam quoad appellationem, quam quoad *Historiam*, meminerint: ita mirum esse minime debet, cur non modo *Historica* ejusdem descriptio, tot implicationes, sed *causalis* illius deductio, tot conversiones subierit. Nisi quidem ex *Hippocrate* *Ileum Hæmatiten*, quem tamen alii pro *Scorbuto* venditant, aut *Affectum Magnorum Splenium*, pro *hypochondriaco* affectu, supponere malint. Quamvis prior, varias *passiones*, *externum* etiam corpus invadentes, quales in vero *Hypochondriaco* morbo, *essentialiter*, adesse non debent, contineat; deinde, cum tempore, ita gravis & immorigerus evadat, ut nullam medicationem admittat. Quæ verò circumstantia, perinde ab indole *Hypochondriaci* affectus aliena existit. *Posterior* verò, non nisi per fragmenta, & fugitivas veluti allegationes, indicatus fuerit; ut ob id admirari quispiam posset, cur tam fontici affectus, cursoria & superficialia mentio, olim injecta fuisset.

§. VI.

Vix vero è proposito nostro erit, *Philologiae* Medicæ circa hunc affectum insudare; sed potius pro usu Medico *Practico*, indicare referet, qualis hujus affectus *finalis* respectus, agnosci & applicari debeat. Supra jam innuimus, quod hi *motus* & *apparatus*, in hoc morbo occurrentes, *duplicem* præcipuum *finem* concernant; ut nimirum, mediantibus iisdem, vel, in majorem *Spissitudinem* prolapsus sanguis, *promoveatur*; ne hic, in diffuso plexu *Venæ Portæ*, (in qua aliàs, ob exiguum hujus *truncum*, ob numerosissimas ramificationum confluxiones in truncum illius *Venæ*, ob copiosam sanguinis per tot ramulos ad exiguum illum truncum affluxionem, ob valvularum defectum in hac vena, & arteriæ cujusdam accurrentis absentiam, imo ob concurrentes alias adventitias causas, sanguis difficulter progreditur) in contumaciorem *stagnationem*, aut perfectam *stasin*, ruat: è qua non alius, nisi periculosus, aut plane funestas eventus extimescendus esset: Vel, ut ex altera parte, *superfluous* sanguis quia molestus est, & hunc impeditum progressum difficiliorem reddit, imprimis per loca *hæmorrhoidalia* ventiletur & *ejiciatur*: quò posthæc, suspectu illa *spissitudo*, eò commodius atque facilius emendari queat.

§. VII.

Confirmat hæc *Pathologico-Practica* consideratio, assertum nostrum; quomodo hi *spasmi*, ad salutarem omnino *finem*, conservationem corporis attinentem, respiciant, imò tendant: & minime confusis illis *stimulis*, & *irritationibus salinis*, innitantur. In qua re meliorem illustrationem suppeditant, sequentes circumstantiæ: 1) Quod hic affectus, nondum illis temporibus innotuerit, quibus toties declamati illi *stimuli* floruerunt, & diætæ similiter *salina*, usitata fuit: sed quod tunc demum inclaruerit, ubi *segnities*, *ignavia*, & *desidia* invaluit & accrevit, *luxuria* verò

vero & *plena diæta* non decrevit. 2) Quod hic affectus non indiscretim, quamlibet *ætatem*, corripiat; sed *certæ* ætati proprius existat. Quemadmodum *historia* vera, contestatur, quod in *juventutis* terminis, Tragœdiam suam ludere soleat, & *seniores* viros, non sub aliis circumstantiis corripiat, quàm quamprimum solitarum *evacuationum sanguinearum*, præcipue vero *hæmorrhoidalium*, cessatione, perturbatione, aut plenaria suppressione, laborare inchoant.

§. VIII.

Quò, porrò, accedit; 3) quod hic affectus in *masculis*, paulo *mitius*; in *fæminis* verò, communiter *acerbius* & *immoderatus*, cruciatus suos exserere soleat, 4) Quod familiarius obtingat, subjectis, quæ de *sanguinea* aut *sanguineo-Melancholica*, aut *Melancholica*, constitutione participant. 5) Quod semper homines *plethoricos* occupet, qui vel 6) antea, actualibus *hæmorrhagiis* spontaneis adfueti fuere, vel quibus nunc 7) eadem deficiunt, vel positivè suppressæ sunt: 8) qui tamen *plenæ* suæ *diætæ* nihil subtrahunt, sed appetitui indiscretim liberaliter indulgent 9) qui una vitam *sedentariam* servant, & voluntarios corporis motus infrequentius exercent, 10) qui parcius *bibunt*, quamvis largius *alimenta* solidiora assumant, & nihil huic plenitudini subtrahunt; 11) quod accumulato indies sanguine, affectus tamen hic magis magisque cruciatus suos exerceat, 12) quod sub hisce circumstantiis, subjecta tamen invadat, quæ superflua *salina* Diæta, neque utuntur, neque abutuntur. 13) Quod illa tamen subjecta non offendat, quæ quamvis largius sub diætâ, *salibus* illis declamatis utuntur, tamen in *laborioso* & *agili* vitæ genere versantur: testimonio gentis rusticæ & opificiariæ. Ubi absona est illa excusatio, quasi ejusmodi homines, per labores & frequentes motus corporis, *salia* illa è corpore transmittant, & excernant; cum tamen nosse debeant, quod jam

in corpore semel extiterint, & sub illa commotione magis exaltentur, & ad effectum *stimulantem* magis etiam dispo-
nerentur. 14) Quis fiat, quod hæc salia hac *etate*, in *has*,
& non in *alias*, partes, effectus suos transferant? 15) Cur
sub hoc pathemate, *semper*, & *eminenter*, in *has*, & non
indiscretim alibi, operentur? 16) Cur illa methodus *The-*
rapeutica, per quam hisce suspectis *salibus* & *obstructioni-*
bus vulgo quidem subvenitur, cum *præcipitantibus*, *edulco-*
rantibus, *acrimoniam* corrigentibus, & *martialibus*, tam pa-
rum *fructuosa* & salubris deprehendatur?

§. IX.

Accedit 17) cur hic affectus, recurrentibus vel erum-
pentibus spontaneis talibus *hæmorrhagiis*, præcipue vero
hæmorrhoidalibus in masculis, ut & necessariis *Menstruis*
exonerationibus, in foeminis, ad sensum mitigetur; vel in-
stitutis & subordinatis *artificialibus* sanguinis ventilatio-
nibus, magis, quam ab ullo alio subsidio expectari potest,
sublevetur? 18) Cur, neglectis his finibus, aut obfirmata
hac *evacuationum sanguinearum* subsistentia, affectus hic
non modo contumaciùs insistat, sed & acerbius sæviat? 19)
Cur circumacta prædicta *ætatis* periodo, plurimum hic
affectus in alia morborum *schemata* transfiguretur? 20) Cur
famofam illam Therapiam, *acrimonie* sanguinis correctori-
am, & obstructionum suspectarum emendatoriam, aut mo-
tuum horum obtupefactoriam, vulgares illi *metaschema-*
tismi, *asthmatici*, *scirrhusi*, *Oedematosi*, *icterici*, *hecticoidei*,
ascitici, *colici*, *iliaci*, aut *inflammatorii*, aut *podagrici*, *I-*
schiatrici, *varicosi*, *tympanitici*, *vertiginosi*, *suffocativi*, *fla-*
zulenti, *Paralytici* & *apoplectici*, sequantur? 21) Quænam
sit relatio *spasticarum* & *congestoriarum* sanguinis commo-
tionum, ad *progressionem* & *evacuationem* sanguinis? an ita
fortuito hi motus contingant; an verò cum congeneribus
effectibus, progressivos sanguinis motus adjuvantibus, &
excretionem ejusdem promoventibus, *organico-finaliter*

convenient? 22) An *obstructionum* tam frequens suppositio, non magis *Physica*, quam *Medica* sit; cum in æstimatione & consideratione *vivi* corporis obtingentes *veræ* obstructions non tam *spasmodicorum*, quam *inflammationum*, accessionem requirant? 23) Quomodo hoc malum citrà omnem respectum, vel ad *acrimoniam* sanguinis, vel *obstructiones* tales, sine ulla *equivocatione*, & securius & certius curari queat? 24) Qua *connexione*, hoc malum, cum prægressis & suppressis *hæmorrhagiis*, gaudeat; & tandem 25) quid *Dieta plena*, *parcior potus* assumptio, & *vita sedentaria*, ad illud conferat.

§. X.

Quibus singulis præmissis, ad *Pathologiam pragmaticam* pertinentibus, tandem colligere licet, quod nulla alia affectus hujus *formalis* ratio agnosci queat, quàm, quod Hypochondriaci, & *abundantia* superflua atque inutili, & *spissitudine* molesta & suspecta, sanguinis laborent; ad *Plethoram* vero illam, remotiori ordine disponat, spontanearum *hæmorrhagiarum* cessatio, imò suppressio, *dieta plena* & *vita sedentaria*; ad *spissitudinem* vero conciliandam, *potus* parcior, *victus* crassior, segnior *motus* voluntarii exercitatio, quin ob abundantem sanguinem, tardior hujus circuitus, contribuat. Quemadmodum aliàs hoc vitium quantitatis sanguinis, vitia *craseos* ejusdem inducere solet; quo ordine insuper *chronici*, & *cachectici serosi* affectus, cum negotio hæmorrhagiarum cohærent: ut non latè & longè, in obscuram illam *Cacochymiam scorbuticam*, quæ non nisi vox est, & confusum *blisteri*, excurrere, necessitas postulet.

§. XI.

Sub tali verò corporis constitutione, interest quam maxime Naturæ humanæ, corpori suo, ut habitaculo atque instrumento, inditæ, ut futuris, imò proxime instantibus, nocumentis, præoccupandis & avertendis, prospiciat: quid ve-

ro sanæ rationi conformius committi potest, quam ut Sanguis, *stagnationibus* talibus, imo *restagnationibus*, & imminutibus *stasibus*, expositus, in progressu suo *promoveatur*; ne in noxiam illam & mortiferam *stasem actualem* ruat: ex qua nil nisi *putrida corruptio* extimescenda est. Huic vero *promotioni*, cum non nudus *impulsus* satisfaciat; ex quo vel tanto citius & certius ad *incarcerationes* & *stases* illas in hoc loco præcipitari possit *spissus* ille sanguis: vel qui in hæc loca sufficienter & satis efficaciter penetrare non posset: sed potius *propensione* tam per *vasa* sangvifera, quam per *porosa* organa; imò, cum hæc *propensio*, per alium nisi *Tonicum*, partium *fibrosarum*, & *fibroso-membranacearum*, *motum*, vix absolvi possit; *Ordinarius* vero *Tonus*, huic *extraordinario* statui non conformis existat: propterea *augetur* tonus, & in *spasticas* pressiones convertitur, ut activiori expeditione, hæc *promotio progressivi* motus sanguinis obtineatur. Mirum vero esse hoc loco non debet, cur hi *spasmi*, ita, & insolescant, & increbescant, ut *proportionem*, ad *necessitatem* & *dispositionem* præsentis status, quadantenus prætergrediantur, atque acerbiores evadant; cum semel commota natura, non raro limites necessitatis transcendat, & plus moveat, quam proprie & exquisitè *necessarium* est.

§. XII.

Hæc operatio vero, quamvis sanæ rationis dictamini & optimè & proximè conveniat, haud tamen cardinem totius hujus negotii, quid proprie in illo fieri debeat, exhaurit atque absolvit; unde dignior occurrit pensatio, nimirum, cum hic affectus ex *Plethora*, primas radices capessiverit, necessarium non modo, sed & absolute utile est, ut hæc *Plethora* imminuatur, quæ causam *primam* hujus passionis constituit. Quo ipso ventilatorio actu, non modo molestum illud, & naturam aggravans, *pondus* sanguinis minuitur; sed & viscera quantisper deplentur, ut reliqua *Massa* facilius eadem transgredi queat: quin illud etiam adjumentum acquiritur, ut sub-

mi-

ministrato quodam spatio, per quod motus procedere debent, & transpressio sanguinis, & *resolutio* ejusdem, sive fluidificatio, ita dicenda, & facilius & citius obtineatur; cum contrà, contra omnem sensum, & physicum, Physico-Mechanicum, imo etiam moralem conceptum & respectum esset, *movere* velle *spissum* humorem, deficiente apto *spatio*, ad hunc motum necessario.

§. XIII.

Neque in hoc necessario actu, umquam Natura, in polymorpho hoc hypochondriaco affectu, deficit; sed per *speciales congestiones* in *masculis*, præsertim ad loca *Hæmorrhoidalia*; in *fæmellis*, ad *uterum* & *Ventriculum*, imo in utroque sexu ad *caput* etiam, directas, hanc *exonerationem* sanguinis superflui prosequitur. Quam verò, ob deficientem *proportionem* humorum ad *meatus* & *motus*, difficulter exsequitur; unde ex aliis locis & regionibus, excretionem hanc necessariam urget. Rarius quidem contingit in masculis, ut *hæmorrhagia* talis in *vomitum cruentum* erumpat; nisi hæ circumstantiæ intercesserint, ut per longum *tempus* hoc malo jam laborent, insuper per medicamenta *emeticæ*, *adstringentiæ*, & *calidæ*, promiscuè tractati fuerint, cæteroquin malis adhuc moribus indulgeant, incongrua diætâ utantur, multam & continuantem vitam sedentariam servant, *iracundis* intercurrentibus, sed non *exsatiatis*, commotionibus perturbentur, *potum* insuper parcius assumant, *alvi* contumaci segnitie laborent, ad *nauseam*, *ructus*, & *cardialgiam* valde argentem, disponantur, aut *spleneticis* etiam pathematibus, per varias incongruas medicationes exacerbatis, succumbant: tunc, inquam, & in hoc affectu abundantioris sanguinis exonerationem è *ventriculo* non rarò urget natura.

§. XIV.

Ex hisce palmariis atque respectivis, motuum, & directionibus, & prosecutionibus, fluunt reliqua pathemata

& phænomena, in hac passione obvia; imprimis vero *oppletoria*, *gravativa*, *tensoria*, *tractoria*, *pulsatilia*, *volutoria*, *torminosa*, & *pressoria*: ex *oppletione* vero variorum abdominis viscerum & regionum, *extensoria*, *restagnatoria*, ex impeditiori progressu sanguinis, *stagnatoria*, *distensoria*, *inflatoria*: & reliquæ *insufficientes sequestrationes*, *abstersiones*, *se-* & *excretiones* excrementitiarum substantiarum: Imò ex *spissitudine* sanguinis, & *oppletione* organorum *colatoriorum*, inordinatæ *secessiones* & humectationes viarum; indeque pendentes *siccitates*, atque *segnities* præcipue alvi; tum etiam aliorum locorum & partium, ex irregulari progressu sanguinis per texturam intestinorum, irregulares & extraordinariæ *peristalses*, indeque provenientes *flatulentie*, quæ hypochondriacis perfamiliares existunt: ex directione *motuum tonicorum*, auctorum, ad *superiora*, *constrictiones* inferiorum partium, imprimis vero *alvi*: ex directione activitatis vitalis, ad promovendum & emovendum sanguinem, reliquæ animalium functionum anomalie: ex applicatione hujus energiae, ad attenuandum sanguinem spissiore, *palpitatio cordis*; ex congestoriis atque expressoriis moliminibus *hæmorrhoidalibus*, in locis hæmorrhoidalibus molesti illi *Tenesmi*, aut dejectiones illæ *mucose*, *tragacantham* solutam emulantes, aut *striis* rubicundis refertæ, aut *protuberantie* in orificio ani, quas appellare solent *Mast-Körner*, *Tacken*: aut profundius in recto intestino angentes *morsicationes*; aut per longitudinem dorsi discurrentes *spasticæ* constrictiones, aut in ossæ sacro molestantes. fictiores *tensiones* & *extensiones*: ex difficiliore vero horum moliminum eminùs institutorum, successu, *colica*, *torminosa*, *pathemata*, aliaque multa, quæ huic connexioni etiam innituntur.

§. XV.

Peculiarem adhuc attentionem meretur, syndrome *Spleneticorum* affectum, in hoc malo non rarò admodum ob-

obviorum. Consistunt verò hæc *splenis* pathemata, vel in *positivo* dolore, tendente & angente; vel *inflatione* molesta, diuturnâ, quin nonnunquam continuâ: vel denique in *duritie* suspectâ: quæ molestiæ, vel à *restagnatione* sanguinis intra splenem, vel à congestione & *activâ* spastica pressione ad *ventriculum*, præcipue ad vasa brevia, dependent. Imprimis verò observationem, prudentem & accuratam, etiam meretur, quomodo ad *spleneticas* tales affectiones, disponat, illa *venæ hæmorrhoidalis internæ*, & *splenica*, insinuat in uno angulo, in *truncum* Venæ portæ; qualem & *Verheyen in Anatomia*, & *Rhodius in Mantissa anatomica obs. 49.* commendarunt; Vel *derivatio* venæ *hæmorrhoidalis internæ*, è venâ *splenica*. Dum enim sanguis, ob suppressas, vel difficulter erumpentes, *hæmorrhoides*, copiosius intrâ venam hanc *hæmorrhoidalem*, versus truncum venæ Portæ, stagnat: tunc sanguis ex *splenica* vena affluens, vix sufficienter eundem truncum ingredi potest, qui propterea in *splenem* restagnat, eundemque *tumefacit* atque *inflat*, *distendit*, *opplet*, imò denique *indurat*. Quam totam rem maximè format atque fovet, *strictura Mesenterii*, *Spastica*, in ipso Venæ *hæmorrhoidalis*, & Venæ Portæ (trunci) *concurso*.

§. XVI.

Familiarius verò hæc pars compatitur, in *scæmellarum hypochondriaco hysterico* affectu; in quibus molimina hæc *excretoria*, ad *Emetico-hæmatiticum* effectum collineant. Deinde etiam in Masculis, in quibus spastica hæc conamina circâ tractum Venæ *hæmorrhoidalis* exercentur; ubi præter *tensiones*, per longitudinem dorsi discurrentes, *splen*, & *sinistrum* præprimis hypochondrium, unâ afficitur. Quid? quod in hoc hypochondriaco affectu, alvus contumaciùs & diutiùs segnis, *sicca*, vel *stricta* existit, præter alias adhuc circumstantias ex Historia Medica petendas. Non enim placet diutius hisce Pathologicis confide-

fiderationibus inhærere, posteaquam brevissimè pro scopo nostro Pathologiam practicam hujus affectus recensuimus. Cum vero hoc negotium cum curâ solertia, & maturo judicio, ad sufficientem demonstrationem, & in justâ connexionem, explicatum sit ab ipso D. D. Præsidente, *Dissertationibus de Malo Hypochondriaco-Hysterico, de Vena Portæ, de Hemorrhoidibus externis & internis, de Morb. ætat. fundam. de motu Tonic. Vit. & in vera Theoria Medica*, propterea soli meridiano lumen adponere, nec possumus, neque necesse est: sufficiet hæc brevi & succincta deductione indicasse.

§. XVII.

Ordo vero nunc postulat ut hisce *fundamentis*, superstruamus THERAPIAM affectus præsentis; in qua primò explicanda erit Therapia qua *Natura* humana, citra *artis* concursum, huic morbo succurrit; deinde *privativa* methodus, huic affectui subveniendi demonstranda: porrò, nuda *Consilia* salutaria huic passioni convenientia, recensenda: tandem etiam ipsa *positiva* auxilia enumeranda erunt.

§. XVIII.

Meretur verò optimo iure, ipsum hoc vulgo quidem dictum *Malum Hypochondriacum, in genere, & simplicius* adhuc, appellari *Therapia*, à natura inventa; qua ad corporis sui conservationem contendit: quam in prima Therapiæ classe enucleabimus. Quo meliori vero modo, & magis convenienti ordine, hæc Natura, sub prædictis circumstantiis, (dum sanguis non modo præter necessitatem atque utilitatem, *abundans*, sed & simul *spissus* est, atque *vitalem proportionem* legitimam, inter *humores* atque *motus* fallit,) huic constitutioni corrigendæ, & periculis imminentibus præoccupandis, prospicere posset, nisi per *promotionem* & *emotionem* sanguinis taliter constituti? Unde neutiquam *tumultuarii*, aut absolutè morbidi vel *noxii*,
uni-

universi illi spasmi & actus, dico actus, sunt; qui in hoc affectu occurrunt; quin potius pro vero & rationabili asserto commendari potest, hoc paradoxum, quod nisi, stantibus prædictis circumstantiis atque respectibus, *motus* hi spastici, *congestorii* & *eluctatorii* contingerent, tale subiectum absolutè *morti* præcipiti exponatur; Enim verò, si hi *motus*, & per consequens, si hic affectus, tanquam illorum *effectus* deficeret, *spissus* ille sanguis, in completam *stasim*, hinc inde in systemate Venæ Portæ, & annexis partibus, rueret, quæ primum gradum corruptionis *putridæ*, in animali corpore efficit. Unde omninò salutarem & Therapeuticum *finem* hæ commotiones concernunt.

§. XIX.

Fundata sane est, & merito in *Medicina*, quæ circa corpus *vivum* versatur, (non vero *speculativa* illa, aut *physica* nudè & *mechanica*,) æstimanda & considerata venit *Dissertatio de Therapia sani corporis*, prælaudati Dn. D. Præsidis; in quâ, latiori deductione, & planè, & verè, commonstratur, hæc Naturæ *potestas* & *activitas*, in *defendendo* & *salvando* suo corpore; quod negotium, uti minimè *Metaphysicum* existit; aut in terminis nihil significantibus minime omnium consistit, sed circa inculcandas *res*, quæ sunt facti, occupatum est, atque omnes *hallucinationes* & *suppositiones* merè *physicas*, nullibi cohærentes, discutit; ita pro hoc nostro proposito illustrando apprimè convenit, dum hanc *Therapiam Naturæ*, in *Malo hypochondriaco*, enodare suscepimus. Etenim singuli illi *spasmi*, sine quibus nullum *hypochondriacum* malum concipi potest, sed cum quibus hic affectus, *formaliter* & *essentialiter* complicatur, proprie vergunt, cum reliquis concurrentibus *congestoriis* commotionibus, ad utilem in genere, *sanguinis superflui excretionem*, & reliqui *progressionem* & *attenuationem*. Hinc, si hi *motus* turbantur, suffocantur, aut plane intercipiuntur, emergunt inde illi suspecti *Me-*
C
tasche.

metaschematismi, quorum in superioribus mentio facta fuit; quo loco etiam conferenda & commendanda erit *Dissertatio* Dn. D. Præsidis, *de Metaschematismis morborum*.

§. XX.

Quin, non tam intererit multa sigillaria testimonia Practica producere, quam ad *universalem experientiam* provocare expediet; quod nullo meliori *autocratico* naturæ actu & effectû, hic affectus, & insigniter *mitigari*, & consultò *curari* queat, quam per fluxum *hæmorrhoidalem*. (quod etiam præter alios probè observavit *Sennertus*, & *Martinus*, *de abstrusis Mesenterii morbis*) in masculis, (de quibus propriè in hac nostra Dissertatione sermo est, si enim una foeminarum *hypochondriaco-hystericum* affectum exponere suscepissemus, accrevisset labor noster præter propositum,) tanto magis vero *virili ætati* proximis, vel in *virili ætate* constitutis: in junioribus vero subjectis, quibus antea *narium hæmorrhagiæ* solennes fuere, (uti communiter *hypochondriaci*, eas præcedente ætate experti fuerunt) hic *recursus* ejus *hæmorrhagiæ*, non raro *salutaris* deprehensus fuit. Quin non fugitivè observanda sunt, licet ultimo loco, & brevissimè, prolata, verba *Celeberrimi Dolei* in *Encyclopædia Medica* Cap. de Malo *hypoch. in fine*, quibus contestatur, qualem usum habeat *fluxus hæmorrhoidalis* in affectu *hypochondriaco*; ad quem vero communiter tendunt hi *motus* *hypochondriaci*, quamvis eò non semper pertingant: Unde in hisce locis impedita natura, aliorum interdum transcendit, & ex aliis viis hanc necessariam excretionem prosequitur. Conferatur etiam de hac re *Bonettus* in *Polyalthea de affectione Hypochondriaca*.

§. XXI.

Collineant insimul ad similem *Therapeuticum* finem, varix *pressiones*, *palpitationes*, & *pulsatiles* nonnunquam commotiones; Quid, quod ipsa *suspiria* *Hypochondriorum*,

rum pertinent ad *Therapiam* Naturæ, per quem profundior *respirationis* actum, sub validiori *Diaphragmatis*, & annexi *hepatis*, commotione, & alternante *abdominis* retractione & expansione; sanguinis progressus per *Venam portæ & hepar*, non leviter adjuvatur; ut propterea ipsimet *Hypochondriaci*, spontè confiteantur, si interrogantur, quam ob causam *suspiria* talia laboriosa & assidua effundant & committant, quod circa *præcordia*, *levitatem* aut levamen experiantur, es werde ihnen ums Herz leichter. Simili ratione *palpitatio cordis*, non simpliciter turbulenta aut confusa existit; sed ad *resolutionem* sanguinis, (quæ sub vegetiori *impressione & transpressione* per partes porosas, imprimis musculosas exteriores, succedit, & quæ impressio in hisce locis magis valet, quam in complexo *Venæ Portæ* systemate, ubi motus *impressorii & propressorii* simpliciter, non tanta cum *efficacia* sufficiunt, ut in partibus merè musculosis) perinde directæ est.

§. XXII.

Hisce *Therapeuticis* Naturæ actibus, annumerari debent varii alii; & quidem *Tenesmi* illi, ad *Hæmorrhoidum* perruptionem concurrentes; ut & *asperitates* illæ, & *tubercula*, in exitu ani efflorescentia; quæ multum quidem molestiæ faciunt, attamen magis eminenter, hujus fluxus successum necessarium indicant. Eo pertinent *vomitibunda* illa conamina, ad subalternam sanguinis per *cruentum vomitum* exonerationem respicientia; nec non *Cephalalgicæ* molestiæ, & imprimis in foemellis famosa illa *Cephalalgia Iliaco Hematitica*, quæ ventilationem sanguinis è *superioribus* regionibus urgent: quin non deficiunt, reservatæ quædam annotationes practicæ, sub observationum titulo prostantes, de *hæmoptycis moliminibus* in affectu *hypochondriaco* differentes. Ex quibus singulis facile liquet, qualem *Therapiam*, servare, exercere, & observa-

re soleat *Natura*, in tractando hoc præsentis sui corporis statu, citrà concursum *artis Medicæ*.

§. XXIII.

Ne vero hoc laboriosum, intricatum, & difficile opus, *Naturæ* solum expediendum relinquatur; quæ sub optima sua intentione, & non mala multoties inventione, *finem* tamen salutarem non semper assequitur: *Arti* omnino duplex officium incumbit; primum *privativum*, alterum verò *positivum*. Illud, versatur circa *remotionem inconvenientium & tentaminum & subsidiorum*; hoc vero circa *applicationem salutarium consiliorum & auxiliorum*. Quare placet in altera *Therapiæ* classe, *privativam* methodum, exponere; & fideliter indicare illos ausus, qui in hoc affectu faciliùs *obesse*, quàm *prodesse*, possunt, & quod plus etiam est, *solent*. Quare, ut à *sinistris excretionibus* commemorandis exordiamur; est omninò crudum vulgare tentamen, & crassa invasio vitæ humanæ, quando prodiga manu & præcoci pruritu, expugnandis famosis *cruditatibus* destinato, *Emetica* indiscretim *hypochondriacis* offeruntur: Quæ communiter in *universaliori* huic affectui *medendæ methodo*, primum locum, sed certè inique, & minime pro merito, tenere solent. Dependet hõrum in hoc affectu commendatio, à *supposititia* plurimum illâ, *cruditatum* præsumptione, quæ tamen plurimum, ex effectu, falsa esseprehenditur, nisi *aliqui* solùm *hypochondriaci*, irregularem, crassam atque minus convenientem diætam *continuent*; Quod si verò ita *indiscretim*, ut iterum repeto, hæc *Emetica*, tantò magis *sensibilioribus* (non dico *debilioribus*, quibus minime omnium conveniunt) subjectis obtrudantur, *facile* non modo, sed & *certò* hæc *pathemata* singula exacerbantur: ad *superiores* partes, nimirum ad *præcordia*, *hepar*, *diaphragma*, imò intra ipsum *pectus & caput*, ut & ad *Ventriculum*, convocantur & provocantur; eoque ipso magis *rebellia*, *inconstantia* & *contumacia* redduntur: nisi hæ

hæ circumstantiæ præsentēs fuerint, ut 1) hoc malum adhuc in *initio* constitutum sit. 2) Ut *masculi* affecti, *robustiores*, & ad vomendum *faciles* sint. 3) Ut *dieta* spissa, crassa, frigida, & irregulari usi. 4) Ut simpliciores nau-seabundas commotiones experiantur, absente vero multa *anxietate* præcordiali, & *congestione* illa sanguinis ad splenem & Ventriculum. 5) Ut *ructibus* nidorosis expositi sint. 6) Ut propterea ipsimet quasi percipiant, præsentiam substantiarum inconvenientium, quæ *aliorum* propelli non possunt, aut debent, in Ventriculo; quemadmodum sponte nonnunquam, *Vomitibus*, spissarum & confusarum materialium, in *hypochondriacis* occurrunt, qualem singularem allegat *Ludovici A. N. C. Dec. I. an. 3. obs. 253*. Hæ circumstantiæ si præstò fuerint, tunc *moderatum stimulum Emeticum* non penitus dissuademus. *Fæminis* verò *Hypochondriaco-hystericis*, *Emetica* communissimè *positivè* nocent, unde iisdem minime offendendæ sunt.

§. XXIV.

Perinde etiam *Hypochondriaci*, non ita liberaliter *positivè purgantibus* tractandi sunt; quamvis communis commendatio eorundem passim innotescat. Minimè omnium verò consultum est, per *stimulantia drastica* eosdem offendere velle; unde laudanda est *Martini* cautela, qui evacuantia hæc magis ad *abstersorium* & *resolutorium*, quam positivum *expulso-rium* finem dirigit. Frustraneus enim est metus ille vulgaris, quasi *acida* talia *pungentia*, in primis viis generentur, quæ huic malo pabulum præbere, superstitiose creduntur: Etenim *positivæ* illæ *purgationes*, non modo *motus* hos *spasticos*, circa primas vias, & *venam portæ*, incitant, ut posthac difficile sit ad Philosophi monitum, *motum quietare*; sed & sanguinem aliàs *spissum*, fluxili residua humiditate, spoliant. Quemadmodum non inauditæ sunt observationes & experientiæ, quibus *ortus* hypochondriaci Mali, ex frequentibus purgantibus,

bus, innuitur. Prudentem vero animadversionem promerebitur illa circumstantia, cur citrà purgantium *positivum* usum, hoc malum, meliori cum successu, aut tractari, aut curari possit? sicut etiam, si famosa illa *acida*, & *salina* pontica, malum hoc foverent, reverà *simplici purgatione* illa tam promptè ejicere, minimè liceret.

§. XXV.

Imò, quicquid de illis *antihypochondriacis evacuanti- bus*, *Aloe* nimirum, & *Helleboro nigro*, passim proferri solet; multis adhuc æquivocationibus immersum & in- nexum est. Quo loco iterum, ab *indiscreto*, *copioso*, *prodigo*, & nimis *frequenti*, eorundem usu, dehortari decet; Quandoquidem ex ipsius experientiæ testimoniis fluit, quomodo per prædictas species, anomalæ *commotiones* circa *Venam Portæ*, & loca *Hæmorrhoidalia*, facile concitari queant: Quin insufficiens adhuc reperitur suffragium experientiæ, an *Polypodium* in hoc affectu tantos affectus præbeat, quanti, non rarò per meram credulitatem, de eodem prædicantur & promittuntur. Maximoperè vero abstinendum est, à *frequentioribus* illis alvi, *acribus* æquè, atque *segnioribus* quidem, sed tamen *pertinacibus*, *prostrationibus*, quas vel pessimæ *anomalie hæmorrhoidales*, vel futurae firmiores *obstipationes* alvi, vel *iliaca* & *colica pathemata*, vel majores *flatulentie*, vel aliæ *spasticarum* commotionum in ab lamine exacerbationes, insequi solent. Quamobrem sollicitè *hypochondriaci* abstineant, ab illis *valde aloeticis* pilulis, cujuscunque sint tituli & auctoris; seu *Francofurtensibus*, seu *Glassianis*, sive aliis.

§. XXVI.

Diaphoretica, & *Diuretica* communia, uti directum usum in hoc affectu haud promittunt aut præbent: ita non multam censuram merentur. Neque etiam, licet, sub *legitimâ præparatione*, frustra, suspecta *Mercurialia*, admitti possunt; nedum detestandus ille abusus *Salivatio-*

nis in hoc affectu, concedi debet; utpote qui temerariis, & rerum suarum incertis, Medicastris magis, quam Medicis, relinquendus, quo loco conferri debet *Observ. 80. A. N. C. Dec. I. an. I. Dobrezensky*; Qualem in hoc affectu, ut omni *veriore Scorbuto* quoque, plane inconvenientem usum, *Contracturæ, Tremores, Paralyfes, Apoplexia, Asthmata Convulsiva & Suffocativa, Scirrhi hepatis, hectica*, & tandem ipsa mors, certius excipit.

§. XXVII.

De *Ventilatione Sanguinis*, inconvenienti & *intempestivâ*, multa quidem dici possent, nisi brevitatis potius placeret: Non verò necessarium erit, illis narratiunculis incumbere, quibus hæ missiones, *absolutè & indiscretim* damnantur & rejiciuntur: sed potius de sinistro sanguinem imminuendi *modo*, differendum erit. Cum enim *Paracelsi* commendatio & traditio, de *Helleboro nigro*, & *Chamædri*, quasi tantum sanguinis consumant & educant, quanta dosi aut *pondere* oblata fuerunt, haut experientiæ respondeat; ita quidem alio modo, hæ *imminutio*, erit & invenienda, & prudenter ordinanda. Siquidem vix quidem frustra, multi, in Praxi versati, artificialem sanguinis subtractionem laudare sciunt; ex quibus vero varii antiquis illis persuasionibus & titubationibus immerfi sunt, dum in *seligendis* venis, vel *hepatica*, vel *splenetica*, vel *salvatella* (quam *salvatellæ* sectionem & *selectum*, non immeritò ridiculum æstimat *Severinus* in *Pseudo-plebotome*) vel alia, peculiarem utilitatem urgent, sed nondum invenerunt, quod quidem etiam jam recte agnovit B. Ettmüllerus. In eo verò nobis altior hæsitatio perpendenda erit, quando evacuatio talis, citrà respectum ad justum *tempus*, & convenientem *regionem* corporis, indiscretim instituitur; aut quando *hirudines*, vulgo quidem, sed familiarissimè nudâ transcriptione, in hoc affectu laudari solitæ, inconsideratè, extra omnem *synagiam*, applicantur. De qua

li evacuandi modo illud brevissimis inculcandum est: quod *Venæ sectio*, *curatoriè*, aut in brachio instituta, non modo communiter nihil proficiat; sed & magis noceat: & vel pathemata hæc ad *superiores* regiones convocet, vel in futurum *contumaciora* reddat. *Scarificatio* vero, vix talem utilitatem infert, qualis huic affectui necessaria & conducibilis existit. Hirudines etiam, vagabundè, & citrà peritiorè discretionem temporis applicatæ, maioribus *anomaliis hæmorrhoidalibus* ansam præbent: Certissimè omnium autem ad *habituales contentiones Hæmorrhoidales*, propius disponunt.

§. XXVIII.

Erit verò hoc loco excipiendum, & discutiendum, illud offendiculum, quod facile suboriri posset, ex præmissis nostris; nimirum, si affectus *hypochondriacus*, innitatur & *abundantiæ*, & *spissitudini* sanguinis; *omni tempore* proficuum futuram talem exonerationem sanguinis, ut necesse non sit observare *rationem* temporis, *subordinationis*, aut *methodi*: sed valere hic, quod *sublata causâ*, *effectus* etiam tollatur. Sed meminisse expediet, quod hic canon præcipue valeat, in immediatis, aut *physicis*, aut *nudè Mechanicis*, rerum *corporalium*, & *motuum*, successibus: Non verò in ordine *vitali* & longâ serie, ad *finem* certum, *subordinandis*, *motuum apparatus*. Deinde, quod indiscretim exercita talis ventilatio, incidat communiter in ejusmodi tempora, quibus natura magis ad *promotionem*, quam directè *emotionem* sanguinis, respiciat; & propterea ex illa evacuatione, non peculiarem perceptionem aut æstimationem admittat: porrò, quod *curatoriè* instituta, *sublevet quidem* naturam à molesto sanguine; sed qualificet etiam illam, ut subnatâ denuò plethorâ, majori cum *pertinaciâ* & *violentiâ*, novam talem imminutionem urgeat, & per exacerbata *molimina spastica*, sollicitet; cum contrâ, si *præservatorie* celebrata fuisset, *anticipando* quasi fur-

furrepta quadam quantitate sanguinis, natura ad operosiores tales contentiones, non confurgat, aut illis pertinaciter incumbat; Sed mitius, atque magis continenter & modestè, reliquos tranquilliores motus continuet. Quod si vero in *superioribus* regionibus administrata fuerit, è facile sequitur natura, quò ducitur; & ad superiora loca imposterum, nimirum ad *pectus, caput, Ventriculum, præcordia, motus* suos transpressorios, spasticos, eluctatorios, dirigit: de qua re conferatur Dissert. D. D. Præsidis, de *Vene Sectione in pedibus*, aliisque corporis regionibus.

§. XXIX.

Quod *Alterantia* nunc concernit, vulgo quidem famosa illa *Martialia* declamari, & ut *solatium hypochondriorum*, produci solent; imo *Rhetoricis* magis commendationibus quam veris *præcticis* confirmationibus, offerri & deprædicari. Unde adhuc audire licet, illas, & *Chymia* experientiali, & experientiæ *præcticae*, contrariantes, persuasiones atque laudes, de efficacia *Martialium, aperiente, absorbente, colliquante, abstergente, acidum peccans auferente*, & propterea *edulcorante*; an vero umquam tale quid præstiterint, merito adhuc quærendum est. Imò difficile fuerit recensere varios ægrotantes, qui ex horum usu, *multam*, conspicuam, & fidam utilitatem perceperunt. Tanto magis, si prora & puppis pro cura hujus affectus in illis constituitur. Quin potius experientia attenta comprobabit, quod hæc *martialia*, in hujus affectus *vigore* adhibita, majores *anxietates, angustias, siccitates* alvi, *obstipationes*, & pathematum reliquorum *exacerbationes*, conciliare soleant. Quare ipse *Tachenius*, in *Clav. Med. Hipp. Martialium* usum, præcipuè quando viscera *infarcta* sunt, dissuadet.

§. XXX.

Neque *Absorbentibus* illa laus concedenda est, quæ communiter illis tribui solet, quasi nimirum ad *summam* curæ hujus affectus, quicquam conferant. Dum suspecta illa *salia* devorare creduntur, & reliqua, inde per-

peram deducta, pathemata mitigare, afferuntur. Cum potius sciendum & tenendum esset, quomodo *absorbentia* talia, vel paulo *largius* & *frequentius* usurpata, humores in maiorem *spissitudinem* & *tenacitatem* conficiant & impa-
stent; quod probe etiam observavit *B. Ettmüllerus* Dissert. de *Præcipitantium usu & abusu*; Unde fieri facile solet, ut hæc *absorbentia*, *frequentius* oblata, in primis viis majores turbas & molestias creent.

§. XXXI.

Salia volatilia, quamquam hodiernis temporibus miri-
ficè extollantur, & eorum virtus *resolutoria* & *attenuatoria*, ad nauseam occinatur; tamen illud dubium irresolutum re-
linquunt, an in rei veritate hæc præstent, quæ de illis prædi-
cantur. Nam si tali, qualis necessaria est, efficacia, sangvinem *resolvere* deberent, absolute etiam necesse esset, ut in *magna* *dosi* offerantur: ast, quæ vel mathematica proportio inveniri potest, inter 20. aut 30. guttulas *spiritus* cujusdam *volatilis*, & ipsam *spissam Massam sanguinis*; imo si successive quatuor Drachmas, ejusmodi spiritus assumerunt ægrotantes, quæ-
nam inde proportio eveniet, ad aliquot libras sanguinis. Un-
de potius experientia confirmat, quod hæc salia, longè majorem efficaciam habeant, sub paucis & exiguis etiam oblatio-
nibus atque dosibus, in *vias*, quam *humores*; quibus prioribus stimulum quendam ad efficaciorum *constrictionem* orga-
norum incutiunt: qualis præpostera *strictura*, dum sanguis adhuc *minus mobilis* est, & *viæ* appletæ, non aliter nisi male cedere potest: hinc intempestivus & nimis liberalis eorundem usus, non alios, quam *angustantes*, *angentes*, *tensorios*, *asthmaticos spasticos*, & *suffocativos* effectus, post se trahit.

§. XXXII.

Rejicimus insuper communia illa *Resolventia*, & *aperientia* (quo etiam referri debent *spiritus* quidam famosi *aperitivi*) quæ *sulphurea*, *acria*, *calida*, *subtilia oleosa*, sunt; utpote quæ incongrua *intestinali* commotione humores offendendo, *impulsibus* suspectis, periculosis atque inconvenientibus, & exinde provenientes *opplerionibus*,
in far-

infarctibus, expansionibus, phlogosibus, anxietatibus, & variis internis inquietudinibus, proximam occasionem præbent. Neque usitatoria illa antiscorbutica, quæ nonnunquam plenis buccis in hoc affectu commendari solent, ut & quædam antivenerea, fundamentum hujus mali attingunt; proptereaque parum ad formalem hujus passionis Therapiam conferunt: nisi quædam ex prioribus, ad abstergendas crassiores sordes, ex quibus vero non hoc Malo laborant subjecta, in primis viis, adeoque remotiori quadam via & ordine, conferunt, eo ipso vero propriam hujus mali indolem, nihil mitigant: imò experientia contestatur, quod acriora illorum, hunc affectum magis exasperent.

§. XXXIII.

Acidularum adhuc in hac privativæ Therapeuticae methodi delineatione, mentio injicienda est. Hisce quamvis multa *diluens, abstersoria, roborans*, imò *aperitiva* virtus adscribatur, tamen omnis hæc declamata laus, imò supposititia commendatio, multis *limitationibus* indiget, ob quas tanta *liberalitate*, ut huc usque fœvit, *hypochondriacis* concedi & offerri, minime debent: Laudantur verò hæ *Acidulæ*, propterea, quia *Martiales* sunt. *Martialia* vero in hoc affectu *in genere* proficua prædicantur, de quorum dubio salutari effectû modo egimus. Ex quibus fundamentis, imprimis ab experientiâ petitis, (quamvis rationes à priori minimè deficient) facile ad *acidularum* usum & utilitatem, concludere possumus, quod, licet illæ *diluyente* quidem qualitate, non penitus destitutæ sint; tamen diversos & perversos *adstrictorios* effectus, hinc inde post se relinquunt, eosdemque irregulariter provocent: ut in quibusdam regionibus inconvenientes *distensiones*, ab illarum *ingurgitationibus, & relaxationibus*, alicubi vero *adstrictiones* suspectæ, eveniant. Unde vel positivè citò nocere solent, nisi alia convenientia *evacuante & abstergentia* sub justo corporis *voluntario motu*, in usum trahantur: aut nisi ex inducta *distensione, & succedente constrictione, exone-*

rationes quædam superveniant, præcipue *vomibundæ*, sub quibus non temerè provocatis, *per accidens* dispensationi & discussione circa *Venam Portæ* succurritur. Quare *parcus* Acidularum usus, magis molestus & suspectus observatus est, à Dn. D. Præsidente, in Dissert. *de Malo Hypochondriaco-Hysterico*; quo conferenda sunt verba ex dissertatione de *hæmorrhoidum internarum motu* pag 27. Habet nimirum in *hæmorrhoidum* cura, *acidularum* usus, hoc incommodi, quod vix ad unum annum levamine, si quod affert, se extendat: imo communissime, nisi vertente illo anno, & pluribus deinceps, repetatur, non solum eadem, sed graviora indies, symptomata, subsequantur. De *Narcoticis* deniquè, non placet multa verba facere; cum quotidiana experientia abundè edoceat, quanta damna dederint, in ejusmodi affectibus & moliminibus *hæmorrhoidalibus*, aliisque *hæmorrhagicis*: unde iterato ad experientiam provocantes, ab usu horum *narcoticorum* merito dehortamur.

§. XXXIV

Brevitati cum nunc studere debeamus, dum præter opinionem latius excurrit præsens deductio, quamvis brevissime etiam de hac materia egerimus, *tertia* classis Therapiæ, nimirum *Medicæ positivæ*, exponenda erit. *Fundamentum* vero hujus Therapiæ, in qua tam *positiva auxilia*, quam salutaria *consilia* indicanda sunt, consistit 1) In *justa imminutione* sanguinis superflui 2) In *promotione* progressus sanguinis, per necessariam *dilutionem*, & *conquassationem*, ejusdem 3) In *mitigandis acerbioribus* commotionibus 4) In promovendis ordinariis *se- & -excretionibus*, & tandem 5) In *dextra symptomatum æstimatione* & tractatione.

§. XXXV.

Uti hic affectus ex *Plethora* primas radices egit, ita apprime conforme est, ut, primario scopo, huic circumstantiæ succurratur; alias enim omnis reliquus labor frustraneus deprehendetur. Quamdiu enim sanguis *superabundat*, tamdiu frustranea est omnis *resolutio*; quam im-

pe-

pedit hæc superflua quantitas, quæ *organa*, in quibus *resolutio* succedere debebat, infarcit & opplet, adeoque spatium sufficiens, ad resolvendum, necessarium, denegat &c. Frustranea est roboratio viarum, quæ ab eadem superflua *quantitate* denuo læditur; Frustranea est organorum *abster-sio*, quia ob hanc copiam excedentem apta remedia commodè penetrare nequeunt &c. Unde absolute necesse est, ut hæc molesta *abundantia* minuatur. Fieri vero hoc commodius potest per *Venæ sectionem*, quam *scarificationem*; quia sanguis ex aperta vena affluens, in hoc statu citius alterat naturam, imò citius & confertim molestant quantitatē imminuit; Non aliam vero hic loci, intelligimus Venæ sectionem, quam quæ *in pede* administranda est; Nocet enim facilius Venæ sectio in brachio, vel ad minimum plane ancipitis est effectus. *Incisio fiat largior*; ut *spissior* sanguis breviori tempore sufficienter effluere queat; quod uti sana ratio dicitur, ita illud etiam indicat *Mercurialis, cap. de Melancholia*. Celebretur etiam talis Venæ sectio, temporibus *æquinoctialibus, vernali & autumnali*; *decrecente* imprimis luna, quo tempore natura ad dimittendos suos humores magis inclinatur: quin confert, ut *bis* per annum, nimirum citatis temporibus, hanc Venæ sectionem admittant patientes. Sufficit, si *Uncias quatuor ad sex* sanguinis, una Venæ sectione emiserint; Nam potior respectus sub tali evacuatione, habendus, *alterationis* naturæ; ut in posterum, tales agitationes, aut commotiones, rarius & modestius capeſſat; aut tanto facilius sanguinis sui *attenuationem*, imò etiam sponte institutam *exonerationem*, assequatur.

§. XXXVI.

Minime vero reticenda est utilitas *Hirudinum* in hoc affectu, quam latius & exquisitè exposuit D. D. Præses *Diss. de Sanguisugarum utilitate*; quas easdem etiam passim commendant, *R. verius, & Bonettus*, conf. *A. N. C. Dec. 2. an. 4. obs. 19. de usu hirudinum in variis morbis*: & variæ aliæ observationes. Habent vero *hirudines*, præcipuum usum in mitigandis ejusmodi moliminibus *hæmorrhoidalibus*, & ad revo-

revocandos *congestorios* motus, à *superioribus* abdominis visceribus, ad loca inferiora, cum primis vero *directè*, ipsa *hæmorrhoidalia*. Tanto magis vero hanc utilitatem obliquant, quando *Venesectio* quædam præmissa est; ubi post, hac pro commoditate & necessitate, *aliquoties* per annum, perinde decresciente Luna, applicari possunt. Et hæc habent insignem usum in *ventilanda*, & à superfluo sanguine liberanda, *Vena Portæ*; quæ dum ex locis *hæmorrhoidalibus*, sufficientem quantitatem exsugunt, præoccupant, ne consueta illa copiosa quantitas per ramum *hæmorrhoidalem*, ad truncum prædictæ Venæ restagnans, & stricturis spasticis subinde pressa, eundem magis oppleat, oneret & distendat; sicque ex aliis visceribus annexis affluentem sanguinem restagnare faciat, proptereaque variis impeditioribus progressibus per totum plexum ejusdem Venæ, causam ministret.

§. XXXVII.

Quamdiu vero hæc molesta *Plethora*, in corpore *Hypochondriacorum* præsens est; imò, quamdiu unà sanguis, *spissitudine* illa laborat: tamdiu neque facile possibile, neque consultum est, ut per *remedia*, *hæmorrhoidalis* fluxus suscesum & exitum prosequamur. Unde, nisi utrumque *fundamentale* impedimentum remotum fuerit, tale quidquam tentare, minimè licet; imò, quamvis etiam hoc opus præstitum sit, dubito merito, an *vulgaria* illa remedia, huic fluxui promovendo, satisfaciant: quem defectum tamen tantum sanè refarciunt, quantum sine vanis pollicitationibus expectare licet, *pilulæ Balsamicæ*, Dn. D. Præsidis *genuinæ*, quæ hucusque in hac necessitate multiplices egregios effectus præstiterunt. Non verò necessarium erit, hoc loco latius demonstrare, quibus aliis subsidiis, hic fluxus promoveri debeat; cum labor hic, themati nostro non adæquatus propriè sit.

§. XXXVIII.

Ut vero natura facilius ad *spontaneam*, sanguinis abundantis excretionem, pertingat; ut etiam sanguis reliquus, justum suum circuitum servet, & per viscera, & affectam præcipuè Venam, facilius profluat, necessarium est, ut Massa sanguinis *mobilior* reddatur. Pro hoc affectu obtinendo, sufficiunt *duo* adminicula, quæ comparatu perquam facilia sunt; nimirum, ut

Hypochondriaci sufficienter *bibant*, & eo ipso sanguinem *diluant*: deinde, ut à consveta nimia *desidia*, & sub illa contingente abdominis compressione, abstinant, sed corpus per *motus voluntarios*, exerceant. Quo faciunt motus *obambulatorii*, moderatæ *aquitationes*, & *vectora*, imò ut se in trahenda *ferrâ*, *diffindendis* lignis, aliisque laboribus, sub *moderata* tamen continentia, agiles sistant, Quo vero hi *dilutionis* effectus certiùs succedant, necesse est ut *Diatâ*, congrua utantur, præsertim, quantum satis est, *humida*, abstinendo, (præcipuè *symptomatum* respectu,) à *crassis*, *fermentescentibus*, *induratis*, *frigidis* atque *spissis* alimentis, qualia quidem communiter appetunt & desiderant: imò ut *parciori* Diætæ adsvesciant. Non male etiam illi agunt, qui decoctis usitatis calidis, *moderate*, non nimium, neque simul & semel, neque nimis frequenter atque prodigè, utuntur, conf. A. N. C. Dec. 11. an. 6. obs. 113. de potu calido, Scholio 2. Ad hanc æquabiliorem progressionem sanguinis, contribuit, justum regimen, quoad *calorem*, & *frigus*; hoc enim, dum ad *repressionem* sanguinis ad interiora viscera, disponit, aniam præbet difficiliori progressui ejusdem per illa loca, atque majori *spissitudini* acquirendæ: calor vero moderatus, ubique ad sanguinis *fluiditatem* disponere solet.

§. XXXIX.

Præterea, succurrendum sedulo est, acerbioribus, *spasticis* & *congestivis*, *commotionibus*, in hoc affectu obviis; quibus mitigandis, neque *martialia*, neque *Narcotica* securè satisfaciunt. Sed si quis *tutum*, attamen salutarem, effectum talem *mitigantem* expectare vult, obtinebit illum à *Nitro* & *salibus digestivis*: quò etiam faciunt *salia illa tartarea*, aut *Salina Tartarifera*: qualia cum *absorbentibus* remediis, (uti fieri potest moderata quantitate,) imò etiam cum *Cinnabari* remixta, huic scopo satisfaciunt. Quod si etiam acerbiores anomalæ commotiones circa *Venam portæ* succedant, *specifico* quodam effectu illis succurrit, herba *Millefolii*; vel in *Decocto*, vel in *Essentiâ*, adhibita: quæ ultima etiam cum *moderatâ* spiritus volatilis additione, *interdum*, non æquè *continuo* usu, offerenda, conducit. Circa hujus remedii vero usum prospiciendum, ut *alvus libera* sit, ut ipsum hoc remedium *modeste* usarpetur, ut *Plethora* nihil contra indicet, & ut subiectum patiens non *nimis dosibus* oneretur. Quin pro *mitigandis* ejusmodi impetuosioribus commotionibus, commendare placet *Corticem Chaccarillæ*, quem post B. Apinum sub circumspectâ administratione, non sine multiplici fructu in usum trahere cepit D. Præses, & quem etiam, tam in *Hypochondriacis*, quam *hystericis*, pathematibus, multoties efficacem deprehendisse, testari audiivi Excell. Dn. D. & Prof. *Alberti*.

§. XL. Multum vero etiam refert, ut *Se. & Excretiones Ordinariæ*, constanter, æqualiter, & sufficienter, succedant; imprimis vero *alvinæ*. Quibus sublevandis & promovendis, convenit, vel sufficiens *potus*, vel *diætâ* minus dura, *diluens*, *humectans*: vel *Nitrosa* remedia; abstinendo ab *igni illo spiriui Nitri dulci*, sed potius *Nitrum* in substantia adhibendo, Cujus

ius laudabilis usus (certe non aberravero, si dicam) millies millenis vicibus comprobatus est. Huc etiam faciunt *Rhabarbarina*; vel *pulverulenta* vel *Infusa*, quæ ultima, ex speciebus moderatè *resolventibus* atque *abstergentibus*, non valde *acribus*, ut & temperanter *carminativis*, paranda sunt: adji-
ciendo *rhabarbarum*, &c. Admitti etiam quandoque possunt, *pilula*, *mo-*
deratissimè aloetica; abstinendo modo ab illa credulâ & vulgari, doses au-
gmentatione: quem excessum & in discretum usum, meritò suprà taxa-
vimus. Hisce adjici possunt *Extracta*, *resolventia*, & *abstergentia*; tempe-
rata, una cum *gummatibus* talibus. Neque silentio præterire debemus, e-
ximum usum, *Clysterum* emollientium; & cum *Oleis* talibus remixtorum,
lenissimè *carminativorum*, in affectu *hypochondriaco* & *hysterico*; præcipue
quando *alvus sicca*, aut jam *obstructa* est, aut quando multa *flatulentia* pati-
entes cruciat. Sub quorum usu, insimul *Diuresis* justè succedet; insuper
verò, cum prælaudato bono regimine, *transpirationi insensibili* bene pro-
spiciendum erit; *positivi* enim copiosi & citati *sudores*, magis nocent, quam
proficiunt: exceptis, sano sensu, iis, qui laboriosiores *corporis motus* inse-
quuntur.

§. XLI. Hæc si bene ordinantur, & rectè applicantur, vel sponte
symptomata cadunt, ut propterea non *necessè* sit, diu illorum curæ immora-
ri: maxime verò perversum est negotium, quando in hac *Therapia*, *sympto-*
matum cura primo loco vel suscipitur, vel illi potissimum *insistitur*, negle-
ctâ radice totius mali; à quo infelici tentamine sollicitè abstinendum est.
Meritò vero tenendum est, quod tempestarum *ventilationum* sanguinis
repetitio, ad prædictum ordinem, negligi non debeat. Mitigato vero quan-
tis per hoc Malo, circa Finem curæ & *Martialia* teneriora, atque mitiora ut
Croc. Martis Antimoniatum, *Tincturam Martis Tartarifatam*, *Tincturam*
Vitrioli Martis Ludovici &c. nec non *Mixturam* ex *Tinctura Anti-*
monii acris & *Spiritu C. C.* paratam aut etiam selectiora, i. e. *mitiora* &
tamen efficacia, *carminativa* concedimus, pro roborandis, huc usque gra-
viter affectis partibus. Sed nunc abripere debemus, posteaquam bre-
vissime solum hanc *Therapiam* passionis *hypochondriacæ* explicavimus,
quamvis adhuc multa de hac materia dicenda restent. Deum interim hu-
militer veneramur, pro præstita sua gratia in hoc nostro proposito; à quo
etiam devotè contendimus, ut hunc laborem in futurum, quâvis be-
nedictione secundet.

S. D. G.

